



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Historia Vitæ & Mortis. Aditus.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

VIVENTIBUS ET POSTERIS SALUTEM.

CUM Historiam Vitæ & Mortis, inter Sex Designationes Mensuras, ultimo loco posuerimus; omnino hoc prævertere visum est, & secundam edere, propter eximiam rei utilitatem; in qua, vel minima temporis iactura, pro pretiosa haberi debet. Speramus enim, & cupimus futurum, ut id plurimorum bono fiat; atq; ut Medici Nobiliores animos non nihil erigant; neq; toti sint in Curarum sordibus; neq; solum propter Necessitatem honorentur, sed fiant demum Omnipotentia, & Clementia divina administrari, in vita Hominum proroganda & instauranda; præsertim cum hoc agatur per vias tutas, & commodas, & civiles, licet intentatas. Est enim nos Christiani ad Terram Promissionis perpetuo aspiremus, & anhelemus; tamen interim itinerantibus nobis, in hac Mundi Eremita, etiam Calceos istos, & tegmina (Corporum scilicet nostri fragilis) quam minimum atteri, erit signum Favoris Divini.

HISTORIA VITÆ & MORTIS.

Aditus.

DE Vita Brevis, & Arte longa, vetus est Cantilena, & querela. Videtur igitur esse tanquam ex congruo, ut nos, qui pro viribus incumbimus ad Artes perficiendas, etiam de Vita Hominum producenda, cogitationem suscipiamus, favore & Veritate, & Vita Aushore. Est enim Vita Mortalium, non aliud sit, quam Cumulus, & accessio Peccatorum, & Annarum; quæ ad Æternitatem aspirant, iis leve sit lucrum vita; tamen non despicienda est, etiam nobis Christianis, Operum Charitatis Continuatio. Quinetiam Discipulus Amatus cæteris superstes fuit; & complures ex Patribus, præsertim Monachis sanctis, & Eremitis, longævi fuerunt; ut isti Benedictioni (toties in Lege veteri repetita) minus detractum videtur post ævum Servatoris, quam reliquis Benedictionibus terrenis. Verum ut hoc pro maximo Bono habeatur, proclive est. De Modis assequendi, ardua Inquisitio; eoque magis, quod sic & Opinibus falsis, & Præconiis vanis depravata. Nam & quæ à turba Medicorum, de Humore Radicali, & Calore Naturali dici solent, sunt seductoria; & laudes immodicæ Medicinarum Chymicarum, prædistant Hominum spes, deinde destruant.

Atque de Morte, quæ sequitur ex Suffocatione, Putrefactione, & variis Morbis, non instituitur præfens Inquisitio; pertinet enim ad Historiam Medicinalem; sed de ea tantum Morte, quæ fit per Resolutionem, ac Atrophiam sententia. Attamen de ultimo passu Mortis, atque de ipsa Extinctione Vita, quæ tor modis, & exterius, & interius, fieri potest, (qui tamen habent quasi Atrium commune, antequam ad Articulum Mortis ventum sit) inquirere; affine quiddam præfati Inquisitioni esse censemus; sed illud postremo loco ponemus.

Quod reparari potest sensim, atque primo Integro non destructo, id potentia æternum est, tanquam Ignis Vestalis. Cum igitur viderent Medici, & Philosophi, ali prorsus Animalia, eorumque Corpora reparari, & refici neque tamen id diu fieri, sed paulo post senescere ea, & ad Interitum prope deduci; Mortem quæ hinc in aliquo, quod proprie reparari non possit, exilimantes Humorem aliquem Radicalem, & Primigenium non reparari in solidum, sed fieri jam usq; ab Infantia Appositionem quandam degenerem, non Reparationem iustam; quæ sensim cum Ætate depravetur, & demum Prævium deducat ad Nullum. Hæc cogitarunt imperite fati, & leviter. Omnia enim Animalia, sub Adolescentia & Juventute, reparantur integre quinetiam ad tempus, Quantitate augentur, Qualitate meliorantur; ut Materia Reparationis quasi æterna esse possit, si Modus Reparationis non intercederet. Sed revera hoc fit. Vergente ætate, inqualis admodum fit Reparatio; aliæ partes reparantur satis feliciter, aliæ ægre, & in pejus; ut ab eo tempore Corpora humana subire incipiant tormentum illud Mezentij, *Ve virva in amplexu mortuorum immoriantur*, atque facile reparabilia, propter ægre reparabilia copulata, deficient. Nam etiam post Declinationem, & decusum ætatis, Spiritus, Sanguis, Caro, Aderi, facile reparantur; at quæ sicciore, aut porosiores sunt partes, Membrana, & Tunica omnes, Nervi, Arteria, Vena, Ossa, Cartilagine, etiam viscera pleraque, deniq; Organica fere omnia, difficilius reparantur, & cum iactura. Illæ autem ipsæ partes, cum ad illas alteras Reparabiles partes, actu reparandas, omnino officium suum præstare debeant; activitate sua, ac viribus imminuta, functiones suas amplius exequi non possunt. Ex quo fit, ut paulo post, omnia ruere incipiant, & ipsæ illæ partes, quæ in natura sua sunt valde reparabiles, tamen deficientibus Organis Reparationis, nec ipsæ similiter amplius commode reparantur, sed minuantur, & tandem deficient. Causa autem Periodica est; quod Spiritus, instat Flammæ lenis, perpetuo prædatorius, & cum hoc conspirans Aer externus, qui etiam corpora fugit, & arefacit, tandem officinam Corporis, & Machinas, & Organa perdat, & inhabilia reddat ad Munus Reparationis. Hæc sunt veræ viæ Mortis naturalis bene & diligenter animo solvenda. Etenim qui Naturæ vias non novit, quomodo is illi occurrere possit, eamq; vertere?

Itaque duplex debet esse Inquisitio, altera de Consumptione, aut Depradatione corporis humani; altera de ejusdem Reparatione, aut Resolutione; eo intuitu, ut altera, quantum fieri possit, inhibeatur, altera confortetur. Atq; prior istarum pertinet præcipue ad Spiritus, & Aerem externum, per quos fit Depradatio; Secunda ad universum processum Alimentationis, per quem fit Restitutio. Atque quoad primam Inquisitionis partem, quæ est de Consumptione, omnino illa cum Corporibus Inanimatis, magna ex parte, communis est. Etenim quæ Spiritus innatus (qui omnibus Tangibilibus, sive vivis, sive mortuis inest) & Aer ambiens, operatur super Inanimata, eadem & tenet super Animata; licet superaddit Spiritus vitalis, illas operationes partim infringat, & compescat, partim potenter admodum intendat, & augeat. Nam manifestissimum est, Inanimata complura, absq; Reparatione, ad tempus bene longum durare posse: At Animata absq; Alimento, & Reparatione, subito concidunt, & extinguuntur, ut & Ignis. Itaque Inquisitio duplex esse debet: primo concernendo Corpus humanum, tanquam Inanimatum, & Inalimentatum; deinde tanquam Animatum, & Alimentatum. Verum hæc præfati, ad Topica Inquisitionis jam pergamus,

Topica